

### 1.11.5

*Impp. Honorius et Theodosius AA. populo Carthaginiensi.*

Omnia loca, quae sacris error veterum deputavit, nostrae rei iubemus sociari, quod autem ex eo iure ubicumque ad singulas quasque personas vel praecedentium principum largitas vel nostra maiestas voluit pervenire, id in eorum patrimonii aeterna firmitate perduret, ea vero, quae multiplicibus constitutis ad venerabilem ecclesiam voluimus pertinere, Christiana sibi merito religio vindicabit.

*D. III k. Sept. Ravennae Honorio X et Theodosio VI AA. conss.* [a. 415]

### 1.11.6

*Idem AA. Asclepiodoto pp.*

Christianis, qui vel vere sunt vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Iudeis ac paganis in quiete degentibus nihilque temptantibus turbulentum legibusque contrarium non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi, nam si contra securos fuerint violenti vel eorum bona diripuerint, non ea sola quae abstulerint, sed convicti in duplum quae rapuerint restituere compellantur.

1 ¶ Rectores etiam provinciarum et officia et principales cognoscant se, si non ipsi talia vindicent, sed fieri a popularibus hoc permiserint, ut eos qui fecerint puniendos.

*D. VI id. Iun. Constantinopoli Asclepiodoto et Mariniano conss.* [a. 423]